



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Virgo Lavretana Commentariis Illvstrata Sive Compendiosa Explicatio Litaniarvm Lavretanarvm

Dript, Laurentius a

Nevhsii, 1673

Caput Vndecimum. Encomium Marianum Duodecimu[m] et Decimum
Tertium. Mater Creatoris & Salvatoris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43641

spicit ac deprecatur tantā (& cui non est par
inveniri) humilitatem. Profecto rara avis
in terris nigroque simillima cigno. Et me-
rito hæc humillima virgo facta est novissi-
ma prima quæ cum prima esset omnium
sefe novissimam faciebat. Merito facta est
omnium Domina quæ se omnium exhibe-
bat ancillam: Merito deniq; super omnes
angelos exaltata est, quæ & infra viduas &
& pœnitentes, infra eam de qua eiecta fue-
rant septem dœmonia ineffabili sefe man-
suetudine inclinabat.

CAPUT VNDECIMUM.

*Encomium Marianum Duodecimum
et Decimum Tertium.*

MATER CREATORIS &
SALVATORIS.

NON immerito quis quærat causam,
cur B. Mater Dei tam diversis nomi-
nibus in idem quodammodo incidentibus
honoretur: Dicitur *Mater Christi, Mater di-
vine gratie, Mater Creatoris, Mater Salvato-
ris,*

vis, ac si hæc omnia essent diversa cum ta-
 men in unam eandemque personam Vir-
 ginis unigenitum Christum Dominum ca-
 dant: Et respondendum hoc fieri propter
 diversas excellentias, quas illa diversa no-
 mina exprimunt? Alia est enim excellentia
 conveniens Christo in quantum Deus; sic
 enim est omnipotens, immensus, æternus,
 immortalis, incomprehensibilis, &c. Alia
 autem conveniens eidem in quantum ho-
 mo: sic enim dicitur filius hominis, filius
 B. Virginis, mortalis, &c. Itaque quia illa
 nomina in Christo diversas dicunt excel-
 lentias, etiam illas suo modo refundunt
 in Bñam Virginem, in quantum ipsa est
 Mater ejus, cui omnes istæ excellentiæ
 conveniunt.

S. **I.**
NArrat *Isidorus* quod antiqui videntes
 terram esse matrem nutricem & pro-
 ductricem omnium, eam in numero Deo-
 rum suorum, & Dearum collocaverunt, ac
 ut Deam venerari cœperunt, quam ut ad
 vivam ad instar Deæ ostenderent, imagi-
 nem erexerunt quam almam Matrem ap-
 pellaverunt, sedentem in medio curr^o, clā-
 P vera

vem, & tympanum in manibus ejus tradentes: in capite autem ejus coronam de turribus imposuerunt, galliq; & aves illam sequebantur ac ante faciem ejus leones prosternebantur. Per hanc imaginem convenientissime B. Virgo designatur ab Ecclesia peroptime salutata & dicta *Alma redemptoris mater*: vere nutrix, mater, & proeductrix omnium: per hoc enim quod facta est mater Creatoris & Salvatoris omnium, etiam aliquo modo causa est concurrens ad omnium nostrum recreationem & salvationem.

Matrem ergo Creatoris hanc Bñam Virginem, sicut & Matrem Salvatoris salutatur Ecclesia: non solum quia eum genuit, qui est creator & salvator universorum, sed etiam quia & ipsi à filio aliquo modo comunicata est excellentia his encomijs significata, Bñæ siquidem huic Matri Deus aliquot specimen sive omnipotentiae comunicasse videtur, idque ex duobus S. Script. locis clare perspicere licet. Gen. i. processerat Deus ad creationem mundi: & in creatione illius quamlibet creaturam unico illo verbo, *fiat*, producebat: *fiat* inquit *lux*
& facta

*& facta est lux, fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis factumq; est ita: Et discurendo per omnes creaturas inveniemus Deum eas per unicum illud verbum produxisse: unica tantum supererat, & inter omnes alias nobilissima creatura scilicet Adam, in cujus creatione ordinem istum mutavit & jam non dixit fiat, sed faciamus inquit hominem ad imaginem & similitudinem nostram &c. Et licet hunc modum in creatione Adami observarit, attamen illud in efformatione novi Adami Christi Domini & in incarnatione illius mutatum esse apud *Evangelium Lucam* invenimus: ubi non dictum faciamus, sed fiat, ecce inquit *Beatissima Mater novi illius Adami, Ancilla Domini fiat mihi secundum verbum tuum*: gravissimus quidam nostri temporis author causam illius investigat: quare scilicet Deus in productione aliarum creaturarum dixerit fiat, in creatione autem hominis, faciamus, est contra verò ipsa *Beata Virgo* non dixerit faciamus sed fiat. Si enim voluntas *MARIÆ* Deo conformis erat de quo dubitandum non est, debebat utique cum Deo dicere, faciamus & non fiat. Respondetq; idem Author,*

id non esse mirum quandoquidem generatio tēporalis Christi Domini ex MARIA Virgine modo supernaturali & extraordinario videlicet sine concursu maris ad modum generationis æterna fieri debebat: sicut enim pater æternus genuit ab æterno filium absq̃ concursu matris, adeoq̃ & patris, & matris simul functus est officio, ut non immerito dictus sit à S. Sinesio Patri mater: sic debebat Beatissima Virgo in terris temporaliter generare filium, sine concursu maris, ac ita esse matri pater, ut sicut in cælis essentia divina communicata est tribus personis, ita in terris à B. Virgine communicaretur una persona duabus naturis. In cælis fecit Pater, quod Pater filius & Spiritus sanctus sint unus Deus, & in terris ipsa effecit, quod Deus & homo sint unus solus Christus. Et quemadmodum in creatione mundi quando Deus hoc voluntatis actum fiat creabat solem, Spiritus Domini ferebatur super aquas: sic Bma Virgo in generatione solis iustitia Christi Domini, quando per hunc actum voluntatis fiat præbuit consensum Archangelo Gabrieli Spiritus sancti obumbratur gratia. Ut ergo Spiritus sanctus indicaret Bmæ Virgini per hoc quod esset facta Mater Dei communicatam fuisse talem potentiam, quæ æmula esset potentie

rentia & omnipotentia divina, & quodammodo infinitam, ipsamque Matrem Dei esse in terris velut alterum Deum: Ideo illud fiat non usurpavit Deus in creatione hominis, sed illud Beatissima Matri filij sui reservavit. Qua proferendo divinum illud fiat, simul proferret & conciperet verbum divinum. Assentitur huic conceptui nostro Divus Ambrosius inquit incomprehensibilis Deus incomprehensibiliter operabatur in Deipara in qua erat gratia labiorum. Sed longe clarius Rup. in Cant. Nutriebatur inquit filius, & non inveniebatur pater, messem reddebat Mater quae semen non acceperat, & quis non audebit Deiparam quasi Deum appellare? §. 2.

Quemadmodum autem filius DEI Matrem suam honoravit aliquali omnipotentia creandi praerogativa; sic eam quoque singulariter elegit, tanquam cooperatricem ad redimendum, & salvandum universum genus humanum: ipsa enim indirecte & remote concurrat ad redemptionem & salvationem, merito ob hoc Mater Salvatoris appellata. Licet enim Christus Dominus solus Redemptor, principalis existat & Salvator noster, qui de seipso as-

ferit per Prophetam: *Torcular calcavi solus
& de gentibus non est vir mecum* Isaia c. 63.
cum hoc tamen stat Bñam Virginem ali-
quo modo cooperatam esse ad eandem: ita
communiter SS. Patres eam ut *Salvatricem
& Redemptricem* invocant & appellant *Aug-
ust. serm. 55. De Sanctis* inquit: *MARIA
primæ Matris damna resolvit, hæc homini per-
dito redemptionem adduxit: Mater generis hu-
mani pœnam intulit mundo, genitrix Domini
nostri salutem intulit mundo. Auctrix peccati
Eva, Auctrix meriti MARIA: Eva occidendo
obfuit, MARIA vivificando profuit. Et D. Am-
brosius Epist. 81. Per mulierem inquit cura suc-
cessit per Virginem salus evenit: Et Epist. seq.
Virgo inquit genuit mundi salutem, virgo pe-
perit vitam universorum. Et denique Epist.
41. Operata est ait salutem, & concepit redem-
ptorem universorum. Nimirum ut ait Petr.
Dam. per ipsum cum ipsa & in ipsa totum ho-
minem esse restauratum decernitur, ut sicut si-
ne ipso factum est nihil, ita sine ipsa nihil refe-
ctum sit. Quod si per ipsam restaurata sunt
omnia; ipsa salutem invenit, ipsa vivifican-
do profuit, ut loquuntur jam citati sancti
Patres: An non merito ipsa appellari pote-
rit*

rit *vivificatrix, salvatrix, cooperatrix salutis universorum.* Inde ergo tam excellentia elogia, quibus eam & alij SS. PP. exornant *Irenæus* audet *MARIAM* dicere *universo generi humano esse causam salutis.* *S. Germanus Patr. & Seraph. Bonav.* afferunt *neminem saluum fieri nisi per virginem:* in idem consentit *Anselmus* in *Encomio primo citatus.* *Mellifluus Bernard.* numquam non liberalissimus in *Encomijs Marianis*, sicut in alijs sic & in hoc puncto summis eam laudibus effert *serm. enim 4. in Assumpt.* *Hæc est enim ait quæ totius mundi reparationem obtinuit, salutem omnium impetravit:* Et paulò infra *Per rte* ait *cælum repletum infernus evacuatus est, instaurata ruina cælestis Hierusalem: expectantibus miseris vita perditæ data.* Sic & *S. Sabbas Abbas* eam inclamans *salva me ait quæ Salvatorem Christum ineffabiliter protulisti. Te quippe sum nactus unicum animæ meæ solatium, & illud plane divinum:* Tu me igitur redime à numquam morituro verme & ardoribus sempiternis.

Gravissime ferunt hæretici nostri temporis, infensissimi tantæ Virginis hostes, & *AntiMariani*, quod his similibusve titu-

tis eam honoremus. *Quid inquit MARI-*
AM habetis pro Dea, sicine spem vestram in
homine ponitis? Indignantur fremunt quod eam
appellemus spem vitæ conciliatricemq; salutis.
 Sed aptissime ad hæc respondet *Blosius*: non
 adoramus eam inquit ut Deam, sed ut Dei Ma-
 trem Deo proximam veneramus (quamvis
 non immerito Dea dici queat cum sancti in scri-
 ptura vocentur *Dij*) non sic constituimus spem
 nostram in homine, non ita confidimus in *MAR-*
IA quasi ipsa quod est, id quod habet, id quod
 potest non acceperit à Domino: sed confitemur
 eam posse omnia in eo, quem enixa est. Dedit
 creator creaturæ filius matri ineffabilem quan-
 dam potestatem & eam singulari privilegio ho-
 norare voluit: ob idque salutis spem in illa collo-
 camus, non quidem ante Dominum, sed post Do-
 minum. Sed & *Petrus Canis*. lib. 5. cap. II. o-
 stendens causam cur *MARIA* antedictis ti-
 tulis honoretur: faciunt sæpe patres ait quod
 in scripturis divinis est usitatum, ut quæ soli
 Deo secundum sensum absolutum competunt:
 tum ad alios sanctos tum ad *MARIAM* exten-
 dant. Nonnumquam per amplificationem & ex-
 aggerationem loquuntur, suamq; semper in sen-
 sum aliquem pium & commodum accipi postu-
 lant

lant, qui cum Ecclesia communi iudicio quadrat. Apud Paulum certe scriptum est de Christo ad Hebr. 1. factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis eterne. Irenaeus l. cont. Valent. cap. 23. MARIA ait virgo sibi & universo generi humano causa salutis facta est. Quae verba clarius explicans Dionys. Carth. lib. 2. de laud. virg. art. 8. Si quando ait MARIA mundi salvatrix dicatur, non id propter efficientiam dicitur (quia nec salutem, nec gratiam ipsa efficit) sed propter subventionem: quoniam apud Deum gratiam, ac felicitatem nobis precatur, atque procurat. Atq; hoc sensu eruditissimus Rutilius Benzoni Episc. Lauretani lib. 6. de Anno Jubilæi cap. 22. pijsimo mentis impetu ait: Beata Virgo causa universalissima est ad quam omnia creata, sive naturalia, sive supernaturalia referuntur: nec gratia cujuscumq; ordinis, etiam gratis data ubi conceduntur, nisi per MARIAM. Nihil enim impedit fides (pergit Canisius l. citat. cap. 7.) quo minus Encomion Christo uti Deo ac aeternae sapientiae proprie competens, ejusdem matri utpote sponsae, & mulierum omnium prestantissimae, secundo communicetur: hinc enim Christo fonti bonorum adeo nihil decedit honoris & gloria,

gloria, ut potius ejusdem gloria illustretur, & augeatur cum attributa (qua ipse ex omni aeternitate habuit) eorumque participationem patri sue aliquo modo elargiri dignatur, quando ei præ ceteris electis gratiæ plenitudinem, aeternæque gloria consortium tribuit, ac eandem sanctorum omnium lectissimam, præstantissimam & honoratissimam reddidit, in qua verbum æternum caro fieret & cum donis suis amplissimis jucundissime habitaret.

CAPUT DUODECIMUM.

*Encomium Marianum Decimum
quartum.*

VIRGO PRUDENTISSIMA.

INter nobilissimas tæminas quas ob singularis eloquentiæ prærogativam S. extollit historia, non postremo loco habenda prudentissima & formosissima *Abigail Nabalis* conjux, cujus tantum apud *Davidem* valuit & eloquentia prudens & prudentia eloquens, ut eum jam sanguini *Nabalis* inhiantem & ad ejus sanguinem effundendum cum exercitu properantem: ita commoverit ut deposita omni feritate, eum ex
lupo